

comia quibus aliorum iudicio isti digni visi sunt non dissimulet, sed suo quoque exornet; cordatè confessus multo eos cum ingenio conscriptos esse, multaquè comprehendere de cœtero subtilissima, verissima, optima: is autem cujus scripta convelluntur, in his vindicandis eadem animi moderatione usus, etiam gratias agat adversario, quòd suas qualescunq; lucubrationes examinare dignatus, ansam adeò sibi præbere voluerit, cogitata sua clariùs & distinctiùs exponendi &c. (vid. exempli gr. Ephem. Gallorum V. ad d. 2. Jul. 1668. & Acta Angl. ad d. 13. Jul. ejusd. anni. Henrici Mori Enchir. Metaph. p. 125. 139. 180. &c.) Quo certè pacto veritas eruitur felicissimè, quam altercando amitti, experta suo damno superior ætas dudum iudicavit: ut reliquas utilitates nunc taceam, multas profectò magnasque quæ in facultates superiores, Remq; adeò publicam universam, ex moderatè Philosophandi consuetudine uberrimè redundant.

V. Cùm porro ex iis, quæ sub initium hujus capituli dicta sunt, evidentissimè constet, impossibile fuisse antiquis Philosophis humanæ sapientiæ arcana pervestigare omnia, posterorumq; adeo seculorum investigationi multa fuisse relinquenda, & verò, vel istis iudicium defuisse aut industriam, aut hæc nobiliorum ingeniorum aut curiosarum mentium ubere proventu destitui, nemo nisi temerarius ausit asserere; deniq; ab istis non magis quàm ab his humani quidquam alienum putandum sit; æquius profectò & consentaneum magis rationi esse nihil queat, quàm sic antiqua venerari, ut nova tamen ne promiscuè respiciamus, nec ita delectari novis, ut prisca sordeant omnia; sed habito prudenter utroq; delectu, quicquid veri boniq; vel olim dictum vel nuper inventum vel hoc ipso die excogitatum est, id pari affectu recipere; id quod est Eclecticorum proprium. His enim novi nihil exosum est, si verum sit, cùm sciant inexhaustos Naturæ sapientiæq; Thesauros non posse non subinde nova depromere &

re
er
vi
ni
na
ne
el
fe
Pu
qu
na
pe
pe
Q
pe
g
ce
de
x
i
n
q
n
P
e
fa
e
q
e
r
n
v
r